



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Oratio ante negotia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

Oratio ante negotia.

Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es DEUS Salvator meus, & te sustinui (tuam unicè quærendo gloriam) totâ die. Ps. 24. Respice in servos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum, & sit splendor Domini DEI nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige. Ps. 89. NB. Nominantur hic opera & opus, & hoc est illud, quod propriè est instituti. Quidam, dum in negotio arduo Magnatem alloqui debebat, solebat rogare Angelum suum Custodem, ut cum Angelo Tutelari illius ageret, eique negotia cum Magnate tractanda commendaret.

Lectio Libri spiritualis.

Hæc sive ante, sive post prandium affigenda semel pro semper est certo cuidam tempori, ne per diem ob studia, negotia, conversationes, aliâsque occupationes seu distractiones occurrentes penitus omittatur. S. P. N. inclamat tibi: Attende lectioni, 1. Tim. 4. spirituali saltem per quadrantem, & cum libri à viris spiritu DEI plenis conscripti, teste S. Gregor. non sint, nisi epistola quedam omnipotentis DEI ad creaturam, quâ arcana sua revelat, & divinam voluntatem suam aperit. Tu quoque cor tuum plenè aperiens DEO dic ante lectionem: Loquere Domine, quia audit servus tuus, 1. Reg. 3. & post lectionem, veletiam, dum inter legendum notabile quid occurrit, suspirans dic: Verba,
 A 7
 qua